

† R. P. Gregorius Lambrechts (1867-1934)
(Prov. Holl.)

Die 10 Augusti 1934, anno aeta tis 67°, in domo novitiatus Buscoduensis Prov. Holl. malo cordis, quo iamdudum laborabat, repentina morte obiit R. P. G. Lambrechts, qui tanquam Magister novitorum et pietatis omniumque virtutum perfectum speculum de Provincia nostra optime meritus est.

Gregorius Lambrechts in pago *Beek* provinciae Brabantiae Septentrionalis honestis ac piis agricolis ortus, iam a teneris annis virtutum illarum specimina dedit, quibus postea praecipue eminerebat, solitudinis namque et orationis amantissimus erat. In cuius rei argumentum afferre liceat testimonium, quod aequalis, R. P. Iac. Boomaars, nunc missionarius in Brasilia, audito eius obitu commoravit. « Tres fratres maiores (sic scribit) moribus probis quidem, at rudes erant; imbecillior et labori agrario minus idoneus Beniamin plura ingrata ab eis perferre debuit. Quid tunc egit? Tabulatum supremum petere ibique solus in oratione diu perseverare ». Verisimiliter ibidem locus inveniebatur, ubi statuam B. M. V. collocaverat, quam floribus ornare filialique devotione venerari solebat. Aliud non minus admiratione dignum est, quod parochus eius R. D. Maas, postquam puerum in ecclesia tanto tempore orantem animadvertisit, spatium, quod precibus daret, censuit esse limitandum.

Novennis matre orbatus est. Pater, qui coniugem suam 4 annis post in tumulum secuturus erat, vir austerus fuit; ieunio quadragesimali poenitentias supererogatorias addidit, seque toto hoc tempore ab usu tabaci abstinebat; quam ultroneam abstinentiam ex aequo ponderare solus is vallebit, qui gentis Batavae atavam fistulae fumatoriae appetentiam noverit. Iamiam moriturus filium sic allocutus fertur: « Coronam ego, spero, ac-



cipiam; pulchriorem vero tu! » Quae verba filio testamenti instar simulque iugis stimulus ad altiora fuerunt.

Patre mortuo Gregorius cura parochi in iuvenatum nostrum Ruremundensem venit, ubi pietate magis quam scientiae laude floruit. Non, quod ingenio careret, sed fundamento solidae institutionis primariae deficiente ingenium haud excultum et ad intelligendum tardius erat. Privatis tamen institutionibus adiutus cursum consuetum cum aliis aemulis statuto tempore consummare potuit. Has institutiones accepit a R. P. A. Kary, Patre Bavario, qui inquis Gubernii Germanici legibus anni 1873 e patria expulsus Ruremundae degebat, quique pupillum suum, quem nativo idiomate « ten kloane Krekoär » (i. e. parvum *Grégoire*) nominabat, ob animi candorem morumque innocentiam valde carum habebat.

Die 29 Septembris 1886, post novitiatum ferventer exactum, ad vota Congregationis admissus est, deinde Wittemium missus, ubi scientiae philosophicae et theologicae incumberet; simul directione egregii Praefecti Gul. van Rossum fruens, genuino spiritu Congregationis magis magisque imbutus est.

Anno 1891 sacerdotio auctus, et studiis absolutis Socius Magistri novitiorum Buscoduci nominatus est, quia ob infirmam valetudinem excursionibus apostolicis impar erat. Erat nempe voce gracili, statura vero imbecilla; et novus velut Agesilaus aliquatenus claudus erat altero pede, ita ut olim puer iocosis nominibus luderetur. Socii officium duobus annis postea cum lectoratus officio in iuvenatu Ruremundensi mutavit, multoque cum successu per 10 annos docendi munus continuavit. Nulli namque labori parcens pueros, quorum difficultates aliis forte melius persentiebat, cum omnium satisfactione suaviter, patienter et practice erudiebat.

Anno demum 1904 ad maiora vocatus est, cum ipsi munus tanti momenti, quanti est fingere ad virtutes Redemptoristae proprias animos tironum, Superiores demandarent. Iamdudum nempe pietate, modestia, humilitate et mansuetudine omnium animos sibi conciliauerat; subiectione vero, stricta regularum observantia bonoque in omnibus exemplo plenam Superiorum captaverat fiduciam. Spiritu S. P. N. plenus, eodem spiritu tirones nostros imbuendo videbatur aptissimus, licet ob debilitatem corpoream mortificationibus extraordinariis praeire non posset. Triginta septem annos natus erat, cum Magister nominatus est, et fere totum quod ei restabat vitae spatium huic muneri impedit. Exceptis namque sex annis, quos partim Ruremundae saluti vagorum in rhaedis habitantium, partim Wittemii curae spirituali Monialium SS. Redemptoris dedit, per 23 annos, i. e. ab anno 1904–15, et rursus ab anno 1921–33, cum ingravescente morbo ulterius praepediretur, in hoc munere stetit. Non minus quam 342 sodales (202 clerici et 140 laici), quorum numerus hodie robur Provinciae efficit, suam ad vitam et virtutes monasticas formationem ac-

ceptam ipsi ferunt. Fuit autem Magister, iuxta elogium a Chronista Buscoducensi ipsi tributum, qui, *forma factus gregis ex animo, coepit facere et docere.* Paterno affectu accuratissimam ab omnibus observantiam exigebat, et ab omnibus diligebatur. Munus Magistri, utut laboriosum, vires tamen suas non adeo occupabat, ut nullum ei tempus amplius suppeteret apostolatum calami exercendi, quem tempore lectoratus Ruremündensis incepérat et usque ad ultimum vitae continuavit, publicando in periodico nostro «De Volksmissionaris» articulos practico et faceto genere scriptos, quibus ascesin christianam legentibus acceptam faciebat. — Insuper ab anno 1909-31, exceptis annis quibus Buscoduci non morabatur (1915-21), Patribus Ord. Praem. in abbatia Heeswijk tempore recollectionis menstruae binas conferentias dedit, quae, licet elocutione oratoria carentes, libenter audiebantur, tum ob doctrinae soliditatem, tum ob practicas, quas inde semper deducebat, applicationes. Etiam clerus civitatis Buscoducensis, una cum Praesule suo quavis ultima feria sexta mensis in oratorio nostro coadunatus, ab anno 1928 usque ad eius obitum conferentiam spiritualem ab eo recepit. Hinc explicatur frequentia cleri in exequiis humilis nostri confratrīs, quae vere extraordinaria fuit. Aderat nempe Excmus ac Revmvs D. Arn. Diepen, Episcopus Buscoducensis, cum suo Vicario Gen. Illmo D. Fr. Hendrikx; aderant praeterea Ill. D. Henr. Stöcker, Abbas Bernensis O. Praem. in Heeswijk, et Ill. D. C. Prinsen, Protonotarius Apost.; aderat Rev. D. J. Brekelmans, decanus urbis; aderant plurimi deinde alii sacerdotes, tum parochi, quam rectores, vicarii et religiosi; multi denique viri laici, in quibus nominatim recensemus urbis syndicū, F. van Lanschot.

Confrater defunctus, ultimis praesertim annis, externa specie, vultu suo venerando canis coronato et aliquatenus in terram prono notam S. Vianney effigiem repreaesentabat; a populo saepe «Sanctus Alfonsus» nominabatur. Utut subtili ingenio et recto iudicio praestans, dubitatione tamen et angustia quadam, ex scrupulositate, qua studiorum tempore premebatur, proveniente, nunquam penitus liber fuit. Quare proprio iudicio plurimum difidebat et libenter Superiorum consiliis acquiescebat. Aliquando tamen, tenera conscientia impellente, ab omnibus dissensit. Sic Ruremundae accidit, ut optimus confrater quidam, iocandi gratia arte cogitationes legendi praeditum se dicens, singulorum cogitata schedulis ante inscripta et suo cuiusque nomine signata reddere inciperet; P. Lambrechts vero, id indigne ferens, serio apud Patrem Rectorem protestabatur; id enim nisi ope maligni fieri non posse autumabat. Ipse sine dolo et fuco, neque in aliis dolum facile suspicabatur, licet hinc a variis hominibus aliquando deciperetur. Ruremundae, postquam matrimonium duorum vagorum convallaverat, postea comperit eleemosynarum respectu eos egisse, putativosque sponsos legitimi matrimonii vinculo iampridem ligatos fuisse. Caritate vere supernaturali benignum affabilemque omnibus se praestabat satagebatque

parva illis quae poterat praebere officia; sic generatim finito tempore, quod ex medicorum praescripto quieti meridianae dare debebat, officium hebdomadarii ad confessiones excipiendas in se suscipiebat; ob cordis nempe debilitatem ultimis annis nunquam deambulatum exibat. Festivis quoque occasionibus ad exhilarandam communitatem libenter lepida et ioculatoria declamabat; et si quando in conversatione eius facetiae et sales, licet innocentes, sinistre accipiebantur, demisso habitu omnem animositatem extinguebat. Resumendo dicere licet R. P. Gregorium Lambrechts extitisse pro nostra Provincia virum Divinae Providentiae, qui tum verbo tum exemplo vitae absconditae ac « parvarum » virtutum praecellens meritum docuerit; dignus propterea qui in memoria nostra perseveret.